de Ao 1593.

esse in gratiâ. Quid de tua Postilla sentiant boni,
et cupiat Typographus noster Matthæus Harnisius,
ex adjecta ejus Epistola, ad me nuper scripta cogno-
sces. Mihi de ea judicare haud licet nondum visa.
Non dubito autem coeteris tuis doctissimis opusculis
eam respondere, maximè si altera cura nunc ac-
cesserit. Quod si igitur cum alio Typographo non-
dum contraxisti, et Ecclesiæ commodis ita serviendum
est, rogo nostri Typographi nomine, ut opus illud
recognitum ejus prelo committas. Æquus est, et
æquis cum eo rationibus facilè contrahes. De Sor-
vino autem ita ut scribit, rem se habere existimo.
Tu quid animi habeas, vel mihi vel ipsi, cum op-
portunum videbitur, explicabis. Benè vale mi
frater, et me ama. Heidelb. 6. Novembr. 1593.

Fidelissimo Christi servo D. Sebastiano
Ambrosio Evangelium docenti in Ecclesiâ
Keismarcensi Scepusii Salutem. 235

Video incendium hoc Ubiquitarium isthic vires magis
ac magis sumere ex concertatione vestrâ. Itaque et Ec-
clesiis vestris et tibi non parum metuo, cui video
rem esse cum adversario potente justa et præfracto.
Scis autem illud Sapientis, μὴ διαμάχου μετ᾽ ἀνθρώπου δυ-
νάστου ἤτε πλουσίου, μήποτε ἀντιστήσῃ τὴν ὁλκὴν σου. Ego
post tot redargutiones libidini hominis non amplius
servirem, nec ligna, quod idem ille Sapiens vetat, in i-
gnem ejus congererem: Sed judicio Dei et Ecclesiæ relin-
querem tanquam αὐτοκατάκριτον, quem contentionis
æstus in ipsorum etiam Tritheitarum foedissimas

palu[illegible]des, paulò pòst præcipitem aget. Nunquam enim is κονκυβηϑος suos regurgitare desistet, cui propositum est veritati non cedere: et plura ac solidiora nemo abs te postulabit, cum causæ tuæ abundè sit per te et per alios jam pridem satisfactum. Percurri autem ut voluisti, per otium pagellas, quibus video adversarium Thrasonicè gloriari de te capto et irretito; sed funiculos de arenâ. Non minus orthodoxas video et probo responsiones tuas, ut judicio meo non sit opus. * * *. Vale. Heidel-bergæ die 4. Novembr. 1593.

236) D. Doct. Davidi Pareo S.

Gratissima jucundissimaque mihi fuit, reveren-de Dne præceptor, epistola tua, pridie paschatis mediis in occupationibus scripta, et die 27. Aprilis, à Frisiis quibusdam, studiorum causâ Genevam tendentibus, mihi reddita. Nam ex ea non solùm prosperam tuam valetudinem, ac felicem rerum vestrarum successum: sed etiam veterem tuum erga me animum, hoc est, constantem benevolen-tiam, et amorem verè paternum recognovi: quæ sanè maximâ me lætitiâ ac voluptate affecerunt. Et ad illam quidem, si tabellarium habuissem certum jam dudum respondissem; aut ipsi aliam nova quæ-dam complectentem, adjunxissem: præsertim cùm intellexerim, tantum abfuisse, ut tibi, licet in-finitis curis laboribusque districto, meæ fuerint mo-lestæ, ut etiam optatissimæ. Verùm tabellariorum, Heidelbergam proficiscentium, penuria, mihi obstaculo fuit, quò minùs id præstare potue-rim, atque debitam gratiam, facere debuissem.

Num itaque